

Post sua demerita periit sua pompa sopita;  
Qualis erat vita, cronica stabit ita.

Explicit Cronica presentibus que futuris vigili  
corde Regibus commemoranda.

Sequitur carmen vnde magnificus Rex noster Henricus pre-  
notatus apud deum et homines cum omni benedictione glori-  
ficetur.

REX celi deus et dominus, qui tempora solus

Condidit, et solus condita cuncta regit,

Qui rerum causas ex se produxit, et vnum

In se principium rebus inesse dedit,

Qui dedit vt stabili motu consisteret orbis,

Fixus in eternum mobilitate sua,

Quique potens verbi produxit ad esse creata,

Quique sue mentis lege ligauit ea,

Ipsa caput regum, reges quo rectificantur,

Te que tuum regnum, Rex pie, queso regat.

10

Grata superueniens te misit gracia nobis,

O sine labe salus nulla per ante fuit:

Sic tuus aduentus noua gaudia sponte reduxit,

Quo prius in luctu lacrima maior erat.

Nos tua milicia pauidos releuauit ab ymo,

Quos prius oppressit ponderis omne malum:

Ex probitate tua, quo mors latitabat in vmbra,

Vita resurrexit clara que regna regit:

Sic tua sors sortem mediante deo renouatam

Sanat et emendat, que prius egra fuit.

20

O pie rex, Cristum per te laudamus, et ipsum

Qui tibi nos tribuit terra reuiuia colit:

Sancta sit illa dies, qua tu tibi regna petisti,

Sanctus et ille deus, qui tibi regna dedit!

Qui tibi prima tulit, confirmet regna futura,

488 f. Sic diffinita stat regia sors stabilita;

Regis vt est vita, cronica stabit ita. G

EXPLICIT. a Regibus SG iugiter CHHs

REX CELI, &c. The MSS. referred to for this and the two succeeding pieces  
are SCHGHs and (for this piece and the next) the Trentham MS. (T).

12 Quo T 15 milicia S (corr.) milicies CHHsT

Quo poteris magno magnus honore frui :  
 Sit tibi progenies ita multiplicata per eum,  
 Quod genus inde pium repleat omne solum :  
 Quicquid in orbe boni fuerit, tibi summus ab alto  
 Donet, vt in terris rex in honore regas :  
 Omne quod est turpe vacuum discedat, et omne  
 Est quod honorificum det deus esse tuum.  
 Consilium nullum, pie rex, te tangat iniquum,  
 In quibus occultum scit deus esse dolum :  
 Absit auaricia, ne tangat regia corda,  
 Nec queat in terra proditor esse tua :  
 Sic tua processus habeat fortuna perhennes,  
 Quo recolant laudes secula cuncta tuas ;  
 Nuper vt Augusti fuerant preconia Rome,  
 Concinat in gestis Anglia leta tuis.  
 O tibi, rex, euo detur, fortissime, nostro  
 Semper honorata scepra tenere manu :  
 Stes ita magnanimus, quod vbi tua regna gubernas,  
 Terreat has partes hostica nulla manus :  
 Augeat Imperium tibi Cristus et augeat annos,  
 Protegat et nostras aucta corona fores :  
 Sit tibi pax finis, domito domineris in orbe,  
 Cunctaque sint humeris inferiora tuis :  
 Sic honor et virtus, laus, gloria, pax que potestas  
 Te que tuum regnum magnificare queant.  
 Cordis amore tibi, pie Rex, mea vota paraui,  
 Est qui seruicij nil nisi velle mihi :  
 Ergo tue laudi que tuo genuflexus honori  
 Verba loco doni pauper habenda tuli.  
 Est tamen ista mei, pie rex, sententia verbi,  
 Fine tui regni sint tibi regna poli !

Prophecica.

**H.** aquile pullus, quo nunquam gravior vllus,  
 Hostes confregit, que tyrannica colla subegit.  
 H. aquile cepit oleum, quo regna recepit,  
 Sic veteri iuncta stipiti noua stirps redit vncta.

51 tibi] boni T      52 Corpore cum nequij seruo mente tibi T  
 PROPHECIA. a colla CHH:T    bella S

*Epistola breuis, vnde virtutes regie morales ad sanum regimen ampliori memoria dirigantur.*

**O** recolende, bone, pie rex, Henrice, patrone,  
 Ad bona dispone quos eripis a Pharaone :  
 Noxia depone, quibus est humus hec in agone,  
 Regni persone quo viuant sub racione.  
 Pacem compone, vires moderare corone,  
 Legibus impone frenum sine condicione,  
 Firmaque sermone iura tenere mone.

Rex confirmatus, licet vndique magnificatus,  
 Sub Cristo gratus viuas tamen immaculatus.  
 Est tibi prelatus, comes et baro, villa, Senatus,      10  
 Miles et armatus sub lege tua moderatus :  
 Dirige quosque status, maneat quo pacificatus ;  
 Inuidus, elatus nec auarus erit sociatus ;  
 Sic eris ornatus, purus ad omne latus.

Hec, vt amans quibit, Gower, pie Rex, tibi scribit :  
 Quo pietas ibit, ibi gracia nulla peribit :  
 Qui bene describit semet, mala nulla subibit,  
 Set pius exhibit, que dei pietate redibit :  
 Sic qui transibit opus et pietatis adibit,  
 Hunc deus ascribit, quod ab hoste perire nequibit ;  
 Et sic finibit qui pia vota bibit.      21

Quanto regalis honor est tibi plus generalis  
 Tanto moralis virtus tibi sit specialis :  
 Sit tibi carnalis in mundo regula, qualis  
 Est tibi mentalis in Cristo spiritualis.  
 Si fueris talis, tua Cronica perpetualis  
 Tunc erit equalis perfectaue materialis :  
 Rex immortalis te regat absque malis !

O RECOLENDE, &c. *Title* Epistola—dirigantur om. GHs  
 4 *margin* Nota de iusticia C      11 *margin* Nota de regimine C  
 17-21 *Over erasure in SCG, as follows in HHs,*

Dum pia vota bibit, tua fama sitire nequibit,  
 Plena set exhibit, cum laudeque plena redibit :  
 Non sic transibit, vbicumque tyrannus abibit ;  
 Cum nimis ascribit sibi magna, minora subibit ;  
 Vt meritum querit, sors sua fata gerit.

18 *margin* Nota de pietate C      21 pia] pita S      22 Vt tibi regalis, pie  
 rex, honor est generalis HHs      23 Sic rogo HHs      25 *margin* Nota  
 de contemplacione C

Nota consequenter carmen super multiplici viciorum pestilencia, vnde tempore Ricardi Secundi partes nostre specialius inficiebantur.

NON excusatur qui verum non fateatur,  
 Vt sic ponatur modus, vnde fides recolatur:  
 Qui magis ornatur sensu, sua verba loquatur,  
 Ne lex frangatur, qua Cristus sanctificatur.  
 Hoc res testatur, virtus ita nunc viciatur,  
 Quod vix firmatur aliquis quin transgrediatur:  
 Hinc contristatur mea mens, que sepe grauatur,  
 Dum contemplatur vicium quod continuatur;  
 Set quia speratur quod vera fides operatur,  
 Quod deus hortatur, michi scribere penna paratur, 10  
 Vt describatur cur mundus sic variatur:  
 Ecce malignatur que modo causa datur.

Putruerunt et corrupte sunt cicatrices a facie insipientie, set priusquam mors ex morbo finem repente concludat, sapientie medicinam detectis plagis cum omni diligencia sapienter investigare debemus. Vnde ego, non medicus set medicine procurator, qui tanti periculi grauitatem deplangens intime contristor, quedam vulnera maiori corruptione putrida euidenti distinctione, vt inde medicos pro salute interpellam, consequenter declarare propono. Anno regni Regis Ricardi Secundi vicesimo.

Contra demonis astuciam in causa Lollardie.

QUOD patet ad limen instanti tempore crimen  
 Describam primo, quo pallent alta sub ymo.  
 Nescio quid signat, plebs celica iura resignat,  
 Dum laicus clausas fidei vult soluere causas,  
 Que deus incepit et homo seruanda recepit:  
 Iam magis enervant populi quam scripta reseruant,  
 Vnde magis clarum scribere tendo parum.  
 Lollia messis habens granum perturbat et ipsum, 20  
 Talia qui patitur horrea sepe grauatur:  
 Semina perfidie sacros dispersa per agros

CARMEN SUPER MULTIPLICI, &c. The MSS. referred to are SCEHL with Fairfax 3 (F) and Bodley 294 (B).

Title and Preface ll. 1-12 om. EL consequenter] hic precipue F  
 'Putruerunt,' &c. om. E pro salute [interpellam] pro salute efficacius  
 interpellem F Anno] In Anno F L. 13 ad om. S

Ecclesie turbant subdola sicque fidem.  
 Inuentor sceleris sceleratus apostata primus  
 Angelicas turmas polluit ipse prius;  
 Postque ruit nostros paradisi sede parentes,  
 Morteque vitales fecerat esse reos:  
 Callidus hic serpens nec adhuc desistit in orbe,  
 Quin magis in Cristi lolliam messe serit.  
 Ecce nouam sectam, mittit que plebis in aures, 30  
 Ad fidei dampnum scandala plura canit:  
 Sic vetus insurgit heresis quasi Iouiniani,  
 Vnde moderna fides commaculata dolet:  
 Vsurpando fidem vultum mentitur honestum,  
 Caucius vt fraudem palliet inde suam:  
 Sub grossa lana linum subtile tenetur,  
 Simplicitas vultus corda dolosa tegit.  
 Fermento veteri talis corrumpit aceruum,  
 Qui noua conspergit et dubitanda mouet:  
 Dum magis incantat, obtura tu magis aures, 40  
 Forcius et cordis ostia claude tui:  
 Simplicitate tua ne credas omne quod audis;  
 Que docet ambiguus auctor aborta caue:  
 Nil nouitatis habens tua mens fantastica cedat;  
 Vt pater ante tuus credidit, acta cole.  
 Vera fides Cristi non hesitat, immo fideles  
 Efficit vt credant cordis amore sui:  
 Nil valet illa fides vbi res dabit experimentum,  
 Spes tamen in Cristo sola requirit eum:  
 Recta fides quicquid rectum petit, omne meretur, 50  
 Quicquid possibile creditur, ipsa potest.  
 Argumenta fides dat rerum que neque sciri,  
 Nec possunt verbo nec racione capi:  
 Subde tuam fidei mentem, quia mortis ymago  
 Iudicis eterni mistica scire nequit:  
 Vt solus facere voluit, sic scire volebat  
 Solus, et hoc nulli participauit opus.  
 Vna quid ad solem sintilla valet, vel ad equor  
 Gutta, vel ad celum quid cinis esse potest?  
 Leticiam luctus, mors vitam, gaudia fletus 60  
 Non norunt, nec que sunt deitatis homo:  
 35 palliet F (corr.) palleat SCHLB paleat E 58 scintilla CEL

Non tenebre solem capiunt, non lumina cecus,  
 Infima mens hominis nec capit alta dei:  
 Nempe sacri flatus archanum nobile nunquam  
 Scrutari debes, quod penetrare nequis.  
 Cum non sit nostrum vel mundi tempora nosse,  
 Vnde creaturas nosse laborat homo?  
 Nos sentire fidem nostra ratione probatam  
 Non foret humanis viribus illud opus;  
 Humanum non est opus vt transcendat ad astra, 70  
 Quod mortalis homo non ratione capit:  
 Ingenium tante transit virtutis in altum,  
 Transcurrit superos, in deitate manet.  
 Qui sapienter agit, sapiat moderanter in istis,  
 Postulet vt rectam possit habere fidem:  
 Committat fidei quod non poterit rationi,  
 Quod non dat ratio, det tibi firma fides.  
 Quod docet ecclesia tu tantum crede, nec vltra  
 Quam tibi scire datur quomodocumque stude:  
 Sufficit vt credas, est ars vbi nulla sciendi, 80  
 Quanta potest dominus scire nec vllus habet.  
 Est deus omnipotens, et qui negat omnipotenti  
 Credere posse, suum denegat esse deum;  
 Sic incarnatum tu debes credere Cristum  
 Virginis ex vtero, qui deus est et homo.  
 Vis saluus fieri? pete, crede, stude reuereri;  
 Absque magis queri lex iubet ista geri.  
 Has fantasias aliter que dant heresias  
 Dampnat Messias, sobrius ergo scias.  
 Tempore Ricardi, super hiis que fata tulerunt, 90  
 Scismata lollardi de nouitate serunt:  
 Obstet principiis tribulos purgareque vadat  
 Cultor in ecclesiis, ne rosa forte cadat.

**Contra mentis Seulciam in causa Superbie.**

DEFICIT in verbo sensus, quo cuncta superbo  
 Scribere delicta nequeo, que sunt michi dicta.  
 Radix peccati fuit ille prius scelerati,  
 Ex quo dampnati perierunt preuaricati:

62 non] nec F      63 nec] non CEH      86 No paragr. here FL  
 stude SCEHLB      time F      88 Que fantasias aliter tibi FB      90 Paragr. FL.

Desuper a celis deiecit eum Michaelis  
 Ensis ad inferni tenebras de luce superni;  
 Nec paradisi ei prebere locum requiei 100  
 Spondet, vbi vere sibi gaudia posset habere:  
 Sic, quia deceptus alibi nequit esse receptus,  
 Mundum deposcit, vt in illo viuere possit:  
 Sic adhibendo moram venit ille superbus ad horam,  
 Quem mea mens tristes in partibus asserit istis.  
 Hunc vbi ponemus, hostem quem semper habemus?  
 Nam magis infecta veniens facit omnia tecta.  
 Laus ibi non lucet, vbi vana superbia ducet  
 Regna superbiorum; docet hoc vestitus eorum:  
 Cum valet ornatum sibi vanus habere paratum, 110  
 Non quasi mortalis, set vt angelus euolat alis.  
 Militis ad formam modo pauper habet sibi normam,  
 Vana sit vt vestis erit inde superbia testis,  
 Exterior signum cor signat habere malignum,  
 Cordis et errore fortuna carebit honore.  
 Nos igitur talem non consociare sodalem  
 Expedi, vt tuti reddamur in orbe saluti.  
 Quod deus odiuit reprobos Dauid hoc bene sciuit,  
 Ipseque psalmista scripsit de talibus ista:  
 'Elatas mentes posuit de sede potentes, 120  
 Et sublimauit humiles, quos semper amauit.'  
 Vanus non durat, quem vana superbia curat,  
 Hec set eum ducit vbi gracia nulla reducit;  
 Culpa quidem fontis latices dabit hec Acherontis,  
 Vnde bibunt vani mortem quasi cotidiani.  
 Omne quod est natum stat ab hoc vicio viciatum,  
 Quo magis inmundum vir vanus habet sibi mundum;  
 Set qui mentali de pondere iudiciali  
 Istud libraret, puto quod meliora pararet.  
 Hoc nam mortale vicium stat sic generale, 130  
 Quod mundum fregit, vbi singula regna subegit;  
 Hec etenim cedes nostras, vt dicitur, edes  
 Vertit, et insana dat tempora cotidiana.  
 O deus eterne, culpe miserere moderne,  
 Facque pias mentes sub lege tua penitentes!  
 Corpus, opes, vires sapiens non sic stabilires,

Dumque superbires, subita quin sorte perires :  
 Sunt que maiores humilis paciencia mores  
 Nutrit, et errores vicii facit esse minores :  
 Ergo tuam vera mentem moderare statera ;  
 Sit laus vel labes, pectore pondus habes. 140

**Contra carnis lasciuam in causa Concupiscencie.**

O SEXUS fragilis, ex quo natura virilis  
 Carnea procedit, anime que robora ledit !  
 O natura viri carnalis, que stabiliri  
 Non valet, vt pura carnalia sint sibi iura !  
 Federa sponsorum que sunt sacrata virorum,  
 Heu, caro dissoluit, nec ibi sua debita soluit :  
 Tempore presenti de carne quasi furienti  
 Turpia sunt plura, que signant dampna futura :  
 Hec desponsatis sunt metuenda satis. 150

Philosophus quidam carnis de labe remorsus  
 Plebis in exemplum talia verba refert :  
 'Vnam de variis penam sortitur adulter,  
 Eius vt amplexus omnis in orbe luat ;  
 Aut membrum perdet, aut carceris antra subibit,  
 Aut cadet insanus non reputandus homo,  
 Aut sibi pauperies infortunata resistet,  
 Aut moriens subito transit ab orbe reus.'  
 Et sic luxuries fatuis sua dona refundit,  
 Vertit et econtra quicquid ab ante tulit. 160  
 Quod prius est dulce, demonstrat finis amarum,  
 Quo caro non tantum, spiritus immo cadit :  
 Sic oculus cordis carnis caligine cecus  
 Errat, et in dampnum decidit ipse suum :  
 Sic iubar humani sensus fuscatur in vmbra  
 Carnis, et in carnem mens rationis abit.  
 Dum carnalis amor animum tenet illaqueatum,  
 Sensati racio fit rationis egens ;  
 Stans hominis racio calcata per omnia carni  
 Seruit, et ancille vix tenet ipsa locum. 170  
 Non locus est in quo maneant consueta libido

138f. Two lines om. FL. The section ll. 142-224 is omitted here in E and inserted after l. 321 143 legit C 154 omnis SFLB vius CEH 159 fatuis om. F

Et racio pariter, quin magis vna vacat :  
 Bella libido mouet, fauet et vecordia carnis,  
 Et sua dat fedo colla premenda iugo ;  
 Libera set racio mentem de morte remordet  
 Carnis in obsequio, statque pudica deo.  
 Nil commune gerunt luxus sibi cum racione ;  
 Ista deum retinet, illa cadauer habet :  
 Sic patet vt nichil est quicquid peritura voluptas  
 Appetit in carne, que velut vmbra fugit. 180  
 Pluribus exemplis tibi luxus erit fugiendus ;  
 Biblea que docuit, respice facta Dauid :  
 Consilio Balaam luxus decepit Hebreos,  
 Quos caro commaculat, carnea culpa premit.  
 Discat homo iuuenis, celeri pede labitur etas,  
 Nuncia dum mortis curua senecta venit :  
 Ecce senilis yemps tremulo venit horrida passu,  
 Et rapit a iuvene quod reparare nequit :  
 Vir sapiens igitur sua tempora mente reuoluat,  
 Erigat et currum, quam prius inde cadat. 190  
 Heu, set in hoc vicio plebis quasi tota propago  
 Carnis in obsequio stat viciata modo :  
 Ex causa fragili causatur fictilis etas,  
 Quo nunc de facili frangitur omnis homo.  
 Carnis enim vicia sunt sic communiter acta,  
 Quod de continuis vix pudet vsus eis :  
 Cecus amor fatuos cecos sic ducit amantes,  
 Quod sibi quid deceat non videt vilis amans.  
 Pendula res amor est subito collapsa dolore,  
 Ordine precipiti miraque facta parat ; 200  
 Sique tuam velles flammam compescere tutus,  
 Artem preuideas, quam prius inde cadas.  
 Cum viciis aliis pugna, iubet hec tibi Paulus,  
 Carnis et a bello tu fuge solus homo ;  
 Et quia vulnifico fixurus pectora telo  
 Vibrat amor, caute longius inde fuge :  
 Vinces si fugias, vinceris sique resistas ;  
 Ne leo vincaris, tu lepus ergo fuge.  
 Mente tui cordis memorare nouissima carnis,

190 inde] ille FL 200 fata EHLB 203 hoc EH

Et speculo mortis respice qualis eris :  
 Oscula fetor erunt, amplexus vermīs, et omne  
 Quod fuerat placidum, pena resoluet opus.  
 Occupat extrema stultorum gaudia luctus,  
 Et risum lacrima plena dolore madet :  
 Vana salus hominis, quam terminat egra voluptas,  
 Tollit et eternum viuere vita breuis.

Crede, satis tutum tenet hoc natura statutum,  
 Quo caro pollutum reddet ad yma lutum ;  
 Cum fera mors stabit et terram terra vorabit,  
 Tunc homo gustabit quid sibi culpa dabit.  
 Est vbi mundicia carnis sine labe reatus,  
 Casta pudicitia gaudet ad omne latus :  
 Stat nota bina solo quo luxus non dominatur,  
 Pax manet absque dolo, longaue vita datur.

**Contra mundi fallaciam in causa Periurii et Auaricie.**

SUNT duo cognati viciorum consociati,  
 Orbem qui ledunt pariter, nec ab orbe recedunt :  
 Iste fidem raram periurat, et alter auaram  
 Causam custodit ; socios tales deus odit.  
 Primo periurum describam, postque futurum,  
 Est vbi ius rarum, scriptura remordet auarum :  
 Ex vicio tali fertur origo mali.

Nemo dei nomen assumere debet inane,  
 Falsa nec vt iuret, os perhibere malo :  
 Lex vetus hoc statuit, set, prothdolor, ecce modernus  
 Munere corruptos iam nouus error agit.  
 Nil nisi dona videt dum se periurat Auarus,  
 Eius enim sensum census vbique regit ;  
 Sic non liber homo librum sine pondere librat,  
 Seruit et ad libras quas sua libra trahit.  
 Set quia periurus defraudat iura superni,  
 Iurat eum dominus iure perire suo :  
 Sic lucrum siciens laqueos incurrit, et eius  
 Lingua prius mendax premia mortis habet ;  
 Sic vendens et emens vacuus non transiet, immo  
 Munera que capiet sulphur et ignis erunt.

Vendere iusticiam nichil est nisi vendere Cristum,

210 mortis] cordis S 217 statum S 234 modernus SFLB modernos CEH

Expectat dampnum qui facit inde forum :  
 Testis erit Iudas quid erit sibi fine doloris ;  
 Dum crepuit medius, culpa subibat onus.  
 Penituit culpam, que semel nisi fecerat illam,  
 Quod tulit et lucrum reddidit ipse statim ;  
 Set nec eo veniam meruit nec habere salutem,  
 Iam valet exemplum tale mouere virum.  
 Vendidit ipse semel iustum, nos cotidianum  
 Ob lucri precium vendimus omne malum :  
 Ille restaurauit, set nos restringimus aurum ;  
 Penituit, set nos absque pauore sumus.  
 Sic et auaricia tanta feritate perurget  
 Corda viri, quod ab hoc vix homo liber abit :  
 Cessat iusticia, cessatque fides sociata,  
 Fraus dolus atque suum iam subiere locum :  
 Plebs sine iure manet, non est qui iura tuetur,  
 Non est qui dicat, iura tenere decet :  
 Omnibus in causis, vbi gentes commoda querunt,  
 Nunc modus est que fides non habuisse fidem.  
 Vox leuis illa Iacob, Esau manus hispida nuper,  
 Que foret ista dies, signa futura dabant :  
 Alterius casu stat supplantator, et eius  
 Qui fuerat socius fraude subintrat opes ;  
 Ex dampno fratris frater sua commoda querit ;  
 Vnus si presit, inuidet alter ei :  
 Filius ante diem patruos iam spectat in annos,  
 Nec videt ex oculis ceca cupido suis :  
 Nunc amor est solus, nec sentit habere secundum,  
 Stans odioque tibi diligit ipse tua.  
 Quid modo, cumque manus mentitur dextra sinistre,  
 Dicam? set caueat qui sapienter agit.  
 Viuitur ex velle, non amplius est via tuta,  
 Cuncta licent cupido, dum vacat ipse lucro ;  
 Arma, rapina, dolus, amor ambiciosus habendi,  
 Amplius ad proprium velle sequuntur iter :  
 Lex silet et nummus loquitur, ius dormit et aurum  
 Peruigil insidiis vincit vbique suis :  
 Hasta nocet ferri, gladius set plus nocet auri ;  
 Regna terit mundi, nilque resistit ei.

251 Quot C

252 Sic CEH

265 est qui CEH

\*\*\*\*

A A

Set quia mors dubium concludit ad omnia finem,  
 Est nichil hic certum preter amare deum :  
 Rebus in humanis semper quid deficit, et sic  
 Ista nichil plenum fertile vita tenet :  
 Quod tibi dat proprium mundus, tibi tollit id ipsum, 290  
 Deridensque tuum linquit inane forum :  
 Quam prius in finem mundi deuenerit huius,  
 Nulla potest certo munere vita frui.  
 Heu, quid opes opibus cumulas, qui propria queris,  
 Cum se nemo queat appropriare sibi?  
 Hunc igitur mundum quia perdes, quere futurum ;  
 Est aliter vacuum tempus vtrumque tuum.

Mammona transibit et auara cupido peribit,  
 In cineres ibit, mors tua fata bibit,  
 Pauper ab hac vita, sic princeps, sic heremita, 300  
 Mortuus ad merita transiet omnis ita.

Quicquid homo voluit, mors mundi cuncta reuoluit,  
 Nemoque dissoluit, quin morti debita soluit :  
 Hec qui mente capit gaudia, raro sapit.  
 Set sibi viuenti qui consilio sapienti  
 Prouidet, ingenti merito placet omnipotenti.

Tempore presenti que sunt mala proxima genti,  
 Ex oculo flenti Gower canit ista legenti :  
 Quisque sue menti qui concipit aure patenti  
 Mittat, et argenti det munera largus egenti ; 310  
 Stat nam mortalis terra repleta malis.

Hoc ego bis deno Ricardi regis in anno  
 Compaciens animo carmen lacrimabile scribo.  
 Vox sonat in populo, fidei iam deficit ordo,  
 Vnde magis solito cessat laus debita Cristo,  
 Quem peperit virgo genitum de flamine sacro.  
 Hic deus est et homo, perfecta salus manet in quo,  
 Eius ab imperio processit pacis origo,  
 Que dabitur iusto, paciens qui credit in ipso.  
 Vir qui vult ideo pacem componere mundo, 320  
 Pacificet primo iura tenenda deo.

307 Paragr. SE no paragr. CHFLB  
 312-321 Ten lines om. L

After 311 one line space F

Incipit tractatus de lucis Scrutinio quam a diu viciorum  
 tenebre, prothdolor, suffocarunt, secundum illud in euangelio,  
 Qui ambulat in tenebris nescit quo vadat.

HEU, quia per crebras humus est viciata tenebras,  
 Vix iter humanum locus vllus habet sibi planum.  
 Si Romam pergas, vt ibi tua lumina tergas,  
 Lumina mira cape, quia Rome sunt duo pape ;  
 Et si plus cleri iam debent lumina queri,  
 Sub modio tecta latitat lucerna reiecta :  
 Presulis officia mundus tegit absque sophia,  
 Stat sua lux nulla, dum Simonis est ibi bulla ;  
 Est iter hoc vile, qui taliter intrat ouile,  
 Nec bene discernit lucem qui lumina spernit. 10  
 Sic caput obscurum de membris nil fore purum  
 Efficit, et secum sic cecus habet sibi cecum.

Aut si vis gressus claros, non ordo professor  
 Hos tibi prestabit, quos caucius vmbra fugabit.  
 Ordine claustrali manifestus in speciali  
 Lux ibi pallescit, quam mens magis inuida nescit :  
 Lux et moralis tenebrescit presbiteralis,  
 Clara dies transit, nec eis lucerna remansit ;  
 Sunt ibi lucerne, iocus, ocia, scorta, taberne,  
 Quorum velamen viciis fert sepe iuuamen. 20  
 Sic perit exemplum lucis, quo turbida templum  
 Nebula perfudit, que lumina queque recludit :  
 Sic vice pastorum quos Cristus ab ante bonorum  
 Legerat, ecce chorum statuit iam mundus eorum.

Si lux presentum scrutetur in orbe regentum,  
 Horum de guerra pallet sine lumine terra :  
 Ne periant leges, iam Roma petit sibi reges,  
 Noscat vt ille pater que sit sibi credula mater.  
 Scisma modernorum patrum nouitate duorum  
 Reges delerent, si Cristi iura viderent ; 30  
 Lux ita regalis decet ecclesiam specialis,  
 Qua domus alma dei maneat sub spe requiei.  
 Teste paganorum bello furiente deorum,

Nota quod eorum  
 lucerna minime cla-  
 rescit quos in ecclesia  
 per Antipapam Aua-  
 ricia promotos ditescit.

De luce ordinis pro-  
 fessi.

Nota quod, si regum  
 lucerna in manu cari-  
 tatis deuocius gesta-  
 retur, ecclesia nunc  
 diuisa eorum auxilio  
 discrecius reformare-  
 tur, eciam et incurus  
 paganorum a Cristi  
 finibus eorum probi-  
 tate eminus expelle-  
 retur.

Text of S collated with CEHL

Title 2 Suffocarunt S

11 oscurum CH 12 cecus] secus C 15 manifestus L 22 Nebula]  
 Lumina L

Raro fides crescit vbi regia lux tenebrescit:  
 Hec tamen audimus, set et hec verissima scimus  
 Nec capit hec mentis oculus de luce regentis.  
 Vltius quere, cupias si lumen habere,  
 Lumina namque Daudid sibi ceca magis titulauit.

De luce procerum.

Si regni proceres aliter pro lumine queres,  
 Aspice quod plenum non est ibi tempus amenum,  
 Dumque putas stare, palpabis iter, quia clare  
 Nemo videt, quando veniet de turbine grando.  
 Diuicie cece fallunt sine lumine sese;  
 Quam prius ille cadat, vix cernit habens vbi vadat:  
 Sic via secura procerum non est sine cura.  
 Stans honor ex onere sibi conuenit acta videre;  
 Qui tamen extantum modo viderit experimentum,  
 De procerum spera non surgunt lumina vera.

De luce Militum et aliorum qui bella sequuntur.

Si bellatorum lucem scrutabor eorum,  
 Lucerne lator tenebrosus adest gladiator.  
 Sunt ibi doctrina luxus, iactura, rapina,  
 Que non splendorem querunt set habere cruorem;  
 Et sic armatus lucem pre labe reatus  
 Non videt, vnde status suus errat in orbe grauatus.

De luce legistarum.

Si lex scrutetur, ibi lux non inuenietur,  
 Quin vis aut velle ius concitat esse rebelle:  
 Non populo lucet iudex quem mammona ducet,  
 Efficit et cecum quo sepe reflectitur equm.  
 Ius sine iure datur, si nummus in aure loquatur,  
 Auri splendore tenebrescit lumen in ore.  
 Omnis legista viuit quasi lege sub ista,  
 Quo magis ex glosa loculi fit lex tenebrosa.

De luce Mercatorum.

Si Mercatorum querantur lumina morum,  
 Lux non fulgebit, vbi fraus cum ciue manebit.  
 Contegit vsure subtilis forma figure  
 Vultum laruatam, quem diues habet similitum.  
 Si dolus in villa tua possit habere sigilla,  
 Vix reddes clarus bona que tibi prestat auarus;  
 Et sic maiores fallunt quamsepe minores,  
 Vnde dolent turbe sub murmure plebis in vrbe.  
 Sic inter ciues errat sine lumine diues,  
 Dumque fidem nescit, lux pacis ab vrbe recessit.

35 et hec] per hec L

De luce vulgari, que patriam conseruat.

Si patriam quero, nec ibi michi lumina spero;  
 Nam via vulgaris tenebris viciatur amaris:  
 Plebs ratione carens hec est sine moribus arens,  
 Cuius subiectam vix Cristus habet sibi sectam.  
 Sunt aliqui tales, quos mundus habet speciales,  
 Fures, raptores, homicide, turbidiores:  
 Sunt et conducti quidam pro munere ducti,  
 Quos facit assisa periuros luce rescisa.  
 Rustica ruralis non est ibi spes aliqualis,  
 Quo nimis obscura pallent sine lumine rura:  
 Sic magis illicebras mundanas quisque tenebras  
 Nunc petit, et vota non sunt ad lumina mota.  
 Sic prior est mundus, et si deus esse secundus  
 Posset, adhuc talis foret in spe lux aliqualis:  
 Set quasi nunc totus deus est a plebe remotus;  
 Sic absente duce perit orbis iter sine luce.

O nimis orbatus varii de labe reatus,  
 Omnis in orbe status modo stat quasi preuaricatus.  
 Cum tamen errantes alios sine lege vagantes  
 Cecos deplango, mea propria viscera tango:  
 Cecus vt ignorat quo pergere, dumque laborat,  
 Sic iter explorat mea mens, que flabilis orat:  
 Et quia perpendo quod lucis ad vltima tendo,  
 Nunc iter attendo quo perfruar in moriendo.  
 Tu, qui formasti lucem tenebrasque creasti,  
 Crimina condones, et sic tua lumina dones:  
 In terram sero tunc quando cubacula quero,  
 Confer candelam, potero qua ferre medelam.

Hec Gower scribit, lucem dum querere quibit;  
 Sub spe transibit, vbi gaudia lucis adibit:  
 Lucis solamen det sibi Cristus. Amen.

75 hec om. L. 80 rescisa SEHL. rescisa C (corr.) 83 illicebras EL  
 87 a plebe] a luce CEH 89 margin Hic in fine] Nota quod Iohannes  
 Gower auctor huius libr. hic in fine E. 91 sine luce L. 92 de plango C  
 93 S has here lost a leaf

Hic in fine tenebras deplangens pro luce optinenda deum exorat.



**E**CCĒ patet tensus ceci Cupidinis arcus,  
 Vnde sagitta volans ardor amoris erit.  
 Omnia vincit amor, cecus tamen errat vbique,  
 Quo sibi directum carpere nescit iter.  
 Ille suos famulos ita cecos ducit amantes,  
 Quod sibi quid deceat non videt vllus amans :  
 Sic oculus cordis carnis caligine cecus  
 Decidit, et ratio nil rationis habet.  
 Sic amor ex velle viuit, quem ceca voluptas  
 Nutrit, et ad placitum cuncta ministrat ei ;  
 Subque suis alis mundus requiescit in vmbra,  
 Et sua precepta quisquis vbique facit.  
 Ipse coronatus inopes simul atque potentes  
 Omnes lege pari conficit esse pares.  
 Sic amor omne domat, quicquid natura creauit,  
 Et tamen indomitus ipse per omne manet :  
 Carcerat et redimit, ligat atque ligata resoluit,  
 Vulnerat omne genus, nec sibi vulnus habet.  
 Non manet in terris qui prelia vincit amoris,  
 Nec sibi quis firme federa pacis habet :  
 Sampsonis vires, gladius neque Daudid in istis  
 Quid laudis, sensus aut Salomonis, habent.  
 O natura viri, poterit quam tollere nemo,  
 Nec tamen excusat quod facit ipsa malum !  
 O natura viri, que naturatur eodem  
 Quod vitare nequit, nec licet illud agi !  
 O natura viri, duo que contraria mixta  
 Continet, amborum nec licet acta sequi !  
 O natura viri, que semper habet sibi bellum  
 Corporis ac anime, que sua iura petunt !  
 Sic magis igne suo Cupido perurit amantum  
 Et quasi de bello corda subacta tenet.  
 Qui vult ergo sue carnis compescere flammam,

'Ecce patet tensus' &c. *This follows the Cinkante Balades in the Trentham MS.*

Arcum preuideat vnde sagitta volat.  
 Nullus ab innato valet hoc euadere morbo,  
 Sit nisi quod sola gracia curet eum.

*The MS. has here lost a leaf.*

**Carmen quod Iohannes Gower super amoris multiplici  
 varietate sub compendio metricæ composuit.**

**E**ST amor in glosa pax bellica, lis pietosa,  
 Accio famosa, vaga sors, vis imperiosa,  
 Pugna quietosa, victoria pernicioso,  
 Regula viscosa, scola deuia, lex capitosa,  
 Cura molestosa, grauis ars, virtus viciosa,  
 Gloria dampnosa, flens risus et ira iocosa,  
 Musa dolorosa, mors leta, febris preciosa,  
 Esca venenosa, fel dulce, fames animosa,  
 Vitis acetosa, sitis ebria, mens furiosa,  
 Flamma pruinosa, nox clara, dies tenebrosa,  
 Res dedignosa, socialis et ambiciosa,  
 Garrula, verbosa, secreta, silens, studiosa,  
 Fabula formosa, sapiencia prestigiosa,  
 Causa ruinoso, rota versa, quies operosa,  
 Vrticata rosa, spes stulta fidesque dolosa.

Magnus in exiguis variatus vt est tibi clamor,  
 Fixus in ambiguis motibus errat amor.  
 Instruat audita tibi leccio sic repetita ;  
 Mors, amor et vita participantur ita.

Lex docet auctorum quod iter carnale bonorum  
 Tucius est, quorum sunt federa coniugiorum :  
 Fragrat vt ortorum rosa plus quam germen agrorum,  
 Ordo maritorum caput est et finis amorum.  
 Hec est nuptorum carnis quasi regula morum,  
 Que saluandorum sacratur in orbe virorum.  
 Hinc vetus annorum Gower sub spe meritorum  
 Ordine sponsorum tutus adhibo thorum.

*Text of S, collated with F See also vol. i. p. 392*

*Title Carmen de variis in amore passionibus breuiter compilatum F  
 to tenobrosa S*

**Q**uia vnusquisque, prout a deo accepit, aliis impartiri tenetur, Iohannes Gower super hiis que deus sibi sensualiter donauit villicacionis sue rationem secundum aliquid alleuare cupiens, tres precipue libros per ipsam, dum vixit, doctrine causa compositos ad aliorum noticiam in lucem seriose produxit.

Primus liber Gallico sermone editus in decem diuiditur partes, et tractans de vicis et virtutibus, necnon et de variis huius seculi gradibus, viam qua peccator transgressus ad sui creatoris agnitionem redire debet, recto tramite docere conatur. Titulus.  
 10 que libelli istius Speculum Meditantis nuncupatus est.

Secundus enim liber sermone Latino metrico compositus tractat de variis infortunis tempore regis Ricardi secundi in Anglia contingentibus: vnde non solum regni proceres et communes tormenta passi sunt, set et ipse crudelissimus rex, suis ex demeritis ab alto corruens, in foueam quam fecit finaliter proiectus est. Nomenque voluminis huius Vox Clamantis intitulatur.

Tercius vero liber, qui ob reuerenciam strenuissimi domini sui domini Henrici de Lancastris, tunc Derbeie Comitis, Anglico  
 20 sermone conficitur, secundum Danielis prophetiam super huius mundi regnorum mutacione a tempore regis Nabugodonosor vsque nunc tempora distinguit. Tractat eciam secundum Aristotilem super hiis quibus rex Alexander tam in sui regimen quam aliter eius disciplina edoctus fuit. Principalis tamen huius operis materia super amorem et infatuatas Amantum passiones fundamentum habet: nomenque sibi appropriatum Confessio Amantis specialiter sortitus est.

'Quia vnusquisque' &c. *Text of S, collated with CHGF. See also vol. iii. p. 479 f.*

3 rationem SCH rationem, dum tempus instat, GF 4 ff. tres—  
 produxit] inter labores et ocia ad aliorum noticiam tres libros doctrine causa  
 forma subsequenti propterea composuit GF 18 vero] iste F

Carmen, quod quidam Philosophus in memoriam Iohannis Gower super consummacione suorum trium librorum forma subsequenti composuit, et eidem gratanter transmisit.

**E**NEIDOS Bucolis que Georgica metra perhennis  
 Virgilio laudisserta dedere scolis;  
 Hiis tribus ille libris prefertur honore poetis,  
 Romaque precipuis laudibus instat eis.  
 Gower, sicque tuis tribus est dotata libellis  
 Anglia, morigeris quo tua scripta seris.  
 Illeque Latinis tantum sua metra loquelis  
 Scripsit, vt Italicis sint recolenda notis;  
 Te tua set trinis tria scribere carmina linguis  
 Constat, vt inde viris sit scola lata magis:  
 Gallica lingua prius, Latina secunda, set ortus  
 Lingua tui potius Anglica complet opus.  
 Ille quidem vanis Romanas obstupet aures,  
 Ludit et in studiis musa pagana suis;  
 Set tua Cisticolis fulget scriptura renatis,  
 Quo tibi celicolis laus sit habenda locis.

10

'Eneidos Bucolis' &c. *Text of S, collated with CHGF*

*Titl* Epistola cuiusdam Philosophi Iohanni Gower super consummacione  
 suorum trium librorum, prout inferius patet, gratanter transmissa G forma  
 subsequenti] versificatum F 12 Anglia F

**Carmen quod Iohannes Gower adhuc viuens super principum regimine vitimo composuit.**

O DEUS immense, sub quo dominantur in ense  
 Quidam morosi Reges, quidam viciosi,  
 Disparibus meritis sic pax sic mocio litis  
 Publica regnorum manifestant gesta suorum :  
 Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui,  
 Quo mala respirant, vbi mores sunt fugitiui.  
 Laus et honor Regum foret obseruacio legum,  
 Ad quas iurati sunt prima sorte vocati :  
 Vt celeste bonum puto concilium fore donum,  
 Quo prius in terris pax contulit oscula guerris : 10  
 Consilium dignum Regem facit esse benignum,  
 Est aliter signum quo spergitur omne malignum.  
 In bonitate pares sumat sibi consiliares  
 Rex bonus, et cuncta venient sibi prospera iuncta :  
 Qui regit optentum de consilio sapientum  
 Regnum, non ledit set ab omni labe recedit :  
 Consilium tortum scelus omne refundit abortum  
 Regis in errorem, regni quo perdit amorem.  
 'Ve qui prederis,' Ysaïas clamat auaris ;  
 Sic verbis claris loquitur tibi qui dominaris. 20  
 Rex qui plus aurum populi quam corda thesaurum  
 Computat, a mente populi cadit ipse repente.  
 Os vbi vulgare non audet verba sonare,  
 Stat magis obscura sub murmure mens loqutura :  
 Que stupet in villa cicius plebs murmurat illa,  
 Vnde malum crescit, sapiens quo sepe pauescit.  
 Est tibi credendum murmur satis esse timendum ;  
 Cum sit commune, tunc te super omnia mune.  
 Lingua nequit fari mala, cor nec premeditari,  
 Que parat obliquus sub fraude dolosus amicus : 30  
 Mundus erit testis, vir talis vt altera pestis  
 Inficit occulto regnum de crimine multo.  
 Blandus adulator et auarus consiliator,

'O deus immense' &c. *Text of S, collated with CH*  
*Title Carmen quod Iohannes Gower tempore regis Ricardi, dum vixit,*  
*ultimo composuit CHG*  
 28 comune S

Quamuis non velles, plures facit esse rebelles :  
 Sepius ex herbis morbus curatur acerbis,  
 Sepe loquela grauis iuuat et nocet illa suavis.  
 Qui falsum pingunt sub fraudeque vera retingunt,  
 Hii sunt qui blando sermone nocent aliquando :  
 Rex qui conducit tales, sibi scandala ducit,  
 Nomen et abducit quod nobile raro reducit : 40  
 Quod viguit mane, sibi vespere transit inane,  
 Dummodo creduntur que verba dolosa loquuntur.  
 Consilio tali regnum magis in speciali  
 Vndique turbatur, quo Regis honor variatur :  
 Nunc ita sicut heri poterit res ista videri,  
 Vnde magis plangit populus, quem lesio tangit.  
 Set premunitus non fallitur inde peritus ;  
 Quod videt ante manum, fugit omne notabile vanum :  
 Cum laqueatur auis, cauet altera, sicque suavis  
 Rex pius in cura semper timet ipse futura. 50  
 Rex insensatus nullos putat esse reatus,  
 Quam prius ante fores casus sibi sint grauiores ;  
 Set qui prescire vult causas, expedit ire,  
 Plebis et audire voces per easque redire :  
 Si sit in errore Regis vel in eius honore,  
 Hoc de clamore populi prefertur ab ore.  
 Est qui morosus, Rex non erit ambiciosus,  
 Set sub eo tutum regni manet omne statutum :  
 Nomine preclarus nunquam fuit vllus auarus,  
 Larga manus nomen cum laude meretur et omen : 60  
 Nomen regale populi vox dat tibi, quale  
 Sit, bene siue male, deus illud habet speciale.  
 Rex qui tutus eris, si temet noscere queris, 70  
 Ad vocem plebis aures sapienter habebis :  
 Culpe vel laudis ex plebe creatur, vt audis,  
 Fama ferens verba que dulcia sunt et acerba.  
 Fama cito crescit, subito tamen illa vanescit,  
 Saltem fortuna stabili quia non manet vna :  
 Principio scire fortunam seu stabilire,  
 Non est humanum super hoc quid ponere planum ; 70  
 Fine set expertum valet omnis dicere certum,  
 Qualia sunt facta, quia tunc probat exitus acta.  
 Rex qui laudari cupit et de fine beari,

Sint sua facta bona, recoletur vt inde corona.  
 Regia precedant benefacta que crimina cedant,  
 Viuat vt eterno sic Rex cum Rege superno:  
 Absque deo vana cum sit tibi cotidiana  
 Pompa, recorderis, sine laude dei morieris.  
 Rex sibi qui mundum prefert Cristumque secundum  
 Linquit, adherebit vbi finis laude carebit: 80  
 Regis enim vita cum sit sine laude sopita,  
 Nomen erat quale, dabit vltima cronica tale.  
 Et sic concludo breuiter de carmine nudo,  
 Ordine quo regnant Reges, sua nomina pregnant.  
 Quo caput infirmum, nichil est de corpore firmum,  
 Plebs neque firmatur, vbi virtus non dominatur.  
 Rex qui securam laudis vult carpere curam,  
 Cristum preponat, Reges qui laude coronat:  
 Nam qui presumit de se, cum plus sibi sumit,  
 Fine careps laude stat fama retrograda caude. 90  
 Omni viuenti scola pertinet ista regenti,  
 Displicet hic genti qui non placet omnipotenti,  
 Gracia succedit, meritis vbi culpa recedit:  
 Qui sic non credit, sua Rex regalia ledit.

Non ex fatali casu set iudiciali  
 Pondere regali stat medicina mali.  
 Plebs vt ouile gregis, mors vitæque, regula legis,  
 Sub manibus Regis sunt ea quanta legis.  
 Tanta licet pronus pro tempore det tibi thronus;  
 Sit nisi fine bonus, non honor est set onus. 100  
 Rex igitur videat cum curru quomodo vadat,  
 Et sibi prouideat, ne rota versa cadat.

Celorum Regi pateant que scripta peregi,  
 Namque sue legi res nequit vlla tegi.

Hic in fine notandum est qualiter ab illa Cronica que Vox clamantis dicitur vsque in finem istius Cronice que tripartita est, Ego inter alios scribentes super hiis que medio tempore in Anglia contingebant, secundum varias rerum accidencias varia carmina, prout patet, que ad legendum necessaria sunt, notabiliter conscripsi. Sed nunc, quia vltius scribere non sufficio, excusationis mee causam scriptis subsequentibus plenius declarabo.

QUICQUID homo scribat, finem natura ministrat,  
 Que velut vmbra fugit, nec fugiendo redit;  
 Illa michi finem posuit, quo scribere quicquam  
 Vltius nequio, sum quia cecus ego.  
 Posse meum transit, quamuis michi velle remansit;  
 Amplius vt scribat hoc michi posse negat.

*S as above: in CHG as follows:*

Nota hic in fine qualiter a principio illius Cronice que Vox clamantis dicitur, vna cum sequenti Cronica que tripartita est, tam de tempore Regis Ricardi secundi vsque in ipsius depositionem, quam de coronacione Illustrissimi domini Regis Henrici quarti vsque in annum Regni sui secundum, Ego licet indignus inter alios scribentes scriptor a diu sollicitus, precipue super hiis que medio tempore in Anglia contingebant, secundum varias rerum accidencias varia carmina, que ad legendum necessaria sunt, sub compendio breuiter conscripsi. Et nunc, quia tam grauitate senectutis quam aliarum infirmitatum multipliciter depressus vltius de cronicis scribere discrete non sufficio, excusacionem meam necessariam, prout patet, consequenter declarare intendo.

HENRICI Regis annus fuit ille secundus,  
 Scribere dum cesso, sum quia cecus ego.  
 Vltra posse nichil, quamuis michi velle ministrat,  
 Amplius vt scribam non meus actus habet.

*In the Trentham MS. as follows (without heading),*

HENRICI quarti primus Regni fuit annus,  
 Quo michi defecit visus ad acta mea.  
 Omnia tempus habent, finem natura ministrat,  
 Quem virtute sua frangere nemo potest.  
 Vltra posse nichil, quamuis michi velle remansit,  
 Amplius vt scribam non michi posse manet.

Carmina, dum potui, studiosus plurima scripsi;  
 Pars tenet hec mundum, pars tenet illa deum:  
 Vana tamen mundi mundo scribenda reliqui,  
 Scriboque mentali carmine verba dei. 10  
 Quamuis ad exterius scribendi deficit actus,  
 Mens tamen interius scribit et ornat opus:  
 Sic quia de manibus nichil amodo scribo valoris,  
 Scribam de precibus que nequit illa manus.  
 Hoc ego, vir cecus, presentibus oro diebus,  
 Prospera quod statuas regna futura, deus,  
 Daque michi sanctum lumen habere tuum. Amen.

Scribere dum potui, studiosus plurima scripsi;  
 Pars tenet hec mundum, pars tenet illa deum:  
 Vana tamen mundi mundo scribenda reliqui,  
 Scriboque finali carmine vado mori.  
 Scribat qui veniet post me discreciior alter,  
 Ammodo namque manus et mea penna silent. 10\*  
 Sic quia nil manibus potero conferre valoris,  
 Est michi de precibus ferre laboris onus.  
 Deprecor ergo meis lacrimis, viuens ego cecus,  
 Prospera quod statuas regna futura, deus,  
 Daque michi sanctum lumen habere tuum. Amen.

Dum potui scripsi, set nunc quia curua senectus  
 Turbavit sensus, scripta relinquo scolis.  
 Scribat qui veniet post me discreciior alter,  
 Ammodo namque manus et mea penna silent. 10\*\*  
 Hoc tamen in fine verborum queso meorum,  
 Prospera quod statuatur Regna futura deus. Amen.

**O**rate pro anima Iohannis Gower. Quicumque enim pro  
 anima ipsius Iohannis deuote orauerit, tociens quociens  
 Mille quingentos dies indulgentie ab ecclesia rite concessos  
 misericorditer in domino possidebit.

*CH as above: G as follows:*

**O**rantibus pro anima Iohannis Gower mille quingenti dies  
 indulgentie misericorditer in domino conceduntur.

*(Shield of arms borne by two angels.)*

Armigeri scutum nichil ammodo fert sibi tutum,  
 Reddidit immo lutum morti generale tributum.  
 Spiritus exutum se gaudeat esse solutum,  
 Est vbi virtutum regnum sine labe statutum.

*(A bier, with candle at head and foot.)*

**V**NANIMES esse qui secula duxit ad esse  
 Nos iubet expresse, quia debet amor superesse;  
 Lex cum iure datur, pax gaudet, plebs gratulatur,  
 Regnum firmatur, vbi verus amor dominatur:  
 Sicut yemps florem, diuisio quassat amorem,  
 Nutrit et errorem quasi pestis agitque dolorem.  
 Quod precessit heri docet ista pericla timeri,  
 Vt discant veri sapientes secla mederi.  
 Filius ipse dei, manet in quo spes requieci,  
 Ex meritis fidei dirigat acta rei. 10

**Diligamus invicem.**

'Vnanimis esse' &c. This and the three remaining pieces are found in  
 CHG, and, except the second, also in E

§ margin Nota pro amore E 9 ipse] ille E Diligamus invicem om. E

Nota de primordiis  
Stelle Comate in An-  
glia.

**P**RESUL, ouile regis, vbi morbus adest macularum,  
Lumina dumque tegis, tenebrescit pestis earum.  
Mune pericla gregis, patuit quia stella minarum,  
Vnde viam Regis turbat genus insidiarum.  
Velle loco legis mundum nunc ducit auarum,  
Sic vbicumque legis, nichil est nisi cordis amarum,  
Quod maneat clarum, stat modo dulce parum.

**C**ULTOR in ecclesia qui deficiente sophia  
Semina vana serit, Messor inanis erit.  
Hii set cultores, sunt quorum semina mores  
Ad messem Cristi, plura lucentur ibi.  
Qui cupit ergo bonus celorum lucra colonus,  
Vnde lucrum querat, semina sancta serat.  
Qui pastor Cristi iusto cupit ordine sisti,  
Non sit cum Cristo Symon mediator in isto:  
Querat pasturam Pastor sine crimine puram,  
Nam nimis est vile, pascat si Symon ouile.  
Per loca deserta, quo nulla patet via certa,  
Symon oues ducit, quas Cristo raro reducit.

10

Nota contra mor-  
tuorum executores.

**D**ICUNT scripture memorare nouissima vite;  
Pauper ab hoc mundo transiet omnis homo.  
Dat fortuna status varios, natura set omnes  
Fine suo claudit, cunctaque morte rapit.  
Post mortem pauci, qui nunc reputantur amici,  
Sunt memores anime, sis memor ergo tue:  
Da, dum tempus habes, tibi propria sit manus heres;  
Auferet hoc nemo, quod dabis ipse deo.

\* Presul' &c. 1 Regis MSS.

\* Cultor in ecclesia' &c. 4 ff. *margin* Nota quid pastores ecclesie debent esse et quomodo debent intrare &c. E

\* Dicunt scripture' &c. 2 ff. *margin* Nota—executores] Nota quod bonum est vnicuique esse executor sui ipsius E 7 Dum tua tempus habes EH